



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutioes Morales**

In Quibus Vnivers[ae] Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

Admodvm Reverendo Clarissimo Et Consvltissimo Viro Domino Hieronymo  
Hack, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14007**

REVERENDO CLARISSIMO ET CONSVLTISSIMO VIRO,

DOMINO HIERONYMO HACK, SS. LEGVM LICENTIA-  
to, Illustris & Insignis Ecclesiæ ad D. Gereonem Coloniae Agrippinæ  
Canonico, Scholastico, & Prælo digniss. Domino suo plu-  
rimum obseruandiss.



Emper illud, Reuerend. Clariss. & Consultiss. Domine, diuino factum consilio, ne vllum seculum, quantumuis barbarum, & ab humanitate scientiarum remotum, in ignorantia tenebris obsolesceret, aut inscienti plebi ad veritatem capessendam duces deessent. In cæcis namque gentilium latebris, quibus Euangelij veritas negata fuit, præter naturale lumen insertum cuiilibet, eruditi antesignani extitère, qui elegantissimis vitæ bene ac beate ducendæ præceptis insignes cum primis se morum Magistros ferrent. Quos per censere molestum esset, nisi vnus Plato aut Arist. pro omnibus facerent, quibus illud lumen naturale ingenij, laborisque acrimonia excolere curæ fuit. Et sane si illos Deus sua benignitate iugiter profecutus est, nunquid impius esset, si quispiam Ecclesiæ suæ illum defuisse, diceret? Quam hæreditatem suam, quam possessionem patrimoniumque suum vocauit & coluit. Quod si ab ipsismet eius incunabulis, & tanquam infantilibus primordijs exordiri libet, & in hac eius virili ætate consistere, vsquequaque sementem doctorum per amplam Deum fecisse constabit. Inter quos, tametsi multi familiam ducant, tum rerum pondere, tum fructu; nulli tamen æque fructuosi ac casuum conscientia interpretes doctoresque sunt: Vti enim conscientia tranquillitas summum bonum est, quod in hac vita possidere possumus, sic quoque eius comparandæ præcepta summa, excellentissimaque censentur. In quibus tradendis, si quisquam alius multus fuit atque utilis, tum profecto Azorius noster primas tulit, siue Theologicam subtilitatem, siue Iuridicam experientiam, Canonumque seriem consideres: Vbique enim in ijs est, siue politicam vitam ciuilemque, siue Ecclesiasticam aut regularem formet; siue plebeium hominem, aut patricium: siue beneficiarium, aut Prælatum depingat: vbique Pontifex, Imperator, Rex, Princeps, Cardinalis, Episcopus, Canonicus, beneficiarius ex diuino humanoque se iure doceri intelliget; & nisi didicerint statum suum, discent. Cæterum illum tuo, vir Clarissime, nomini tutelari inscriptum

volui, quod ex illa hunc Azorium familia virum esse scirem, in cuius  
tu Lyceis Artium ac Philosophiæ laudatissima elementa posuisses,  
atque exinde, ad Iurisprudentiam prouolans omnia illa, quæ vir hic  
magnus sagacissimo labore, & laboriosa sagacitate contulisset in  
has Institutiones, ad miraculum etiam omnium celerrime parauis-  
ses, vt non immerito à Venerab. Illustrique D. Gereonis Capitulo  
ad illum dignitatis gradum sis delectus, quo non modo Capituli il-  
lius, sed etiam totius Cleri Agrippinensis Oraculum (vti Orator ille  
de Scæuola scribit) dici possis & esse, euentus docuit: quippe cum ta-  
lem tantumque, non modo ingenij felicitas, virtutumque semina-  
rium; verum ipsa quoque familiaria in studijs contubernia nostra  
dictarent: nescio enim quid arduum & sublime præter commu-  
nem iuuentutis indolem tua mihi indoles præfagiret, quæ non tam  
impense voluere monumenta Doctorum, quam helluari in ijs (sit  
verbo venia) auiditate sciendi consueuisset.

Quamobrem id vnum efflagito, quando quidem ego hoc ope-  
re amorem meum à teneris etiam annis inchoatum, in Tuam  
Reuerend. & Clarissimam Dominationem testari voluerim, vt  
tu Vir Consultissim. eundem benigna huius operis acceptatione te-  
stareris. Si enim accommodatius aliquod <sup>scriptum</sup> prælo meo ex-  
fudatum fuisset, id destinassem vtique tibi, ingenio tuo palatoque  
contemperatum: iam vero cum hætenus nullum prodierit, quod  
illam exactam, omnibusque numeris absolutam beneficiorum Ec-  
clesiasticorum tractationem sic deduceret, æquum fuit hoc saltem  
tui nominis patrocinio obarmatum transmittere. Quod velim eo  
animo accipias, quo missum est, videlicet, AMICI. vna obnixæ, vt  
me meaque tibi commendata habeas, comprecatus, pergasque por-  
ro Tibi, Patriæ, Ecclesiæ lucere incolumis.

Colon. Agripp. ex officina mea Typographica, Anno millesimo  
sexcentesimo septimo. Vigilia Natiuit. B. Virginis.

*Admodum Reuerend. & Clariss. Tæa Dom.  
obsequentiissimus Cliens*

*Antonius Hierat, Cuius & Bi-  
bliopola Coloniensis.*